

ciendum hortaretur. Vigebat in barbaro homine elegans ingenium, atque vehementer in Venetos proclive, illorumque amicitiae appetens, qui ut Andreae Griti Principis animum sibi conciliaret, portiunculam sacratae Crucis ligni, cui Servator noster affixus fuerat, dono se misisse dicebat: grati animi testem adamantem centum, ac viginti aureorum pretio a Grito accepisse; hisque mutuis benevolentiae argumentis amicitiam coalitam: idem se erga Petrum Landum, nuper Principem creatum, efficere statuisse; quapropter brachium sancti cuiusdam viri, cui a Christicolis, qui eas regiones incolerent, summi honores haberentur, Principi deferendum curasse, quo veluti certissimo pignore necessitudo confirmaretur, atque augeretur. Petri Franciscii literis acceptis, statim coacto Senatu, Thomas Contarenus, vir exacta aetate, atque egregia prudentia, Zeno legatus suffectus est. Ut intra quatuor dies Venetiis discederet, quae mandata Zeno fuerant, exequeretur, imperatum est: & ne publicae liberalitatis significationes a Moesiae praefecto desiderarentur, pro collatis in Zenum humanitatis, ac benevolentiae officiis gratiis actis, eundem nobili gemma Senatus donavit.

Gritus interim mensis maji initio Byzantium pervenerat, atque cum Rinconio, & Cantelmio Ajacem Bassam adiit. Sed multis utrinque de communibus induciis disceptatis, negotium irritum conatu cessit, quod Turcae a concordia cum Caesare ineunda abhorrerent, quamvis ad pacem cum Venetis firmandam inclinati viderentur. Itaque inducias cum Republica ante pactas usque ad xij. kalend. octobris prorogavit, atque, ut legati e turri educti liberiori loco uterentur, impetravit. Neque interea quantum poterat officiis, atque admirabili quadam, quae in ipso erat, ingenii dexteritate, ut sibi Bassae, atque aliorum purpuratorum animos conciliaret, quidquam omittebat, ut induciis foederati omnes continerentur. Verum dum enixe, ut res ad exitum perduceretur, laboraret, testa Rinconii, Regis legati, consilia, atque occultas machinas intentius singula rimando animadvertit. Is enim, ut Rex sequester, atque arbiter pacis inter Venetos, ac Turcas fieret, ex quo plurimum illi auctoritatis, ac dignitatis accessurum arbitraretur, secreto purpuratos hortabatur, ne ulla in re se demitterent,

aut

1539
Crucis Servatoris portiuncula a Moesiae praefecto Principi Grito dono missa.

Thomas Contarenus loco Zeni legatus eligitur.

Induciae cum Venetiis a Turcis prorogatae, & legati Veneti e turri ducti.

Rinconii, Galliae Regis legati, occulta in perniciem Venetorum cum Turcis officia.